BEATÆ MARIAE MAGDALENAE LACHRYMÆ, IN OBITVM NOBILISSIMI IVVENIS GVLIELMI GREY, Domini ARTHVRI GREY *Baronis de VVilton, auratæ Periscelidis Equitis Clarissimi, Filij natu minoris.*

OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius. 1606.

XUM

XUM

CLARISSIMÆ ET NOBILISSIMÆ Heroinæ, Dominæ IOANNÆ-SYBILLÆ GREY, *Domini* ARTHVRI GREY, Baronis de Wilton Dotariæ *coniunctissimæ, Gratia, & pax, à Deo* Patre, & Iesu Christo.

HONORATISSIMA Domina, *non vt doloris tui vulnus vix benè adhùc obductum, iterũ recrudescere faciamus, sed vt illum amoris nostri impetum, & στοργὴν verè maternam quâ filium tuum, Alumnum nostrũ tecum ardentissimè complexi fuimus, tibi testatam habeamus, hasce nostras LACHRYMAS in tuas manus & sinum quasi effundimus. Agnosce pietatem nostram quâ studuimus omni Academica solennitate illius supremas exequias celebrare, et cognosce simul paupertatẽ Musarum, quòd non possunt aliâ victimâ quàm lachrymarum imbre, defunctorum manibus parentare. Eccè itaq; illas Lachrymas quas dudùm in Filij tui funere profudimus, iam literis consignatas, et (tãquã Homerici Vlyssis ventos!) vtre obsignatas! Neq; tamen vt Homericus Vlysses ventos, hasce lachrymas calamitatis tuæ, mœrorisq; nostri testes tantùm apud Te habeas: sed verte, quæsumus, paginas, et inspice.*

[a] ὄσσος τις χρυσόστε, καὶ ἀργυρος ἄσκῶ ἔνεστιν.

Verte, quæsumus, paginas, et inspice, quæ gemmæ virtutum in filio tuo semper eluxerunt: quám aureum futuræ vitæ fundamentum in Musarum studio posuit; quæ pietas, quæ doctrina, quæ morum sanctimonia illum nobis omnibus charum, quibus benè innotuit, semper illustrem reddidere. Accipe igitur hasce lachrymas, et amoris erga filiũ (dileximus enim, profectò dileximus) et officij erga Amplitudinẽ tuã indices, ô vtinam vnà cum iisdem pharmacum etiam illud Homericum.

[b] κακῶν ἐπίληθον ἅπαντων.

[a] Odyss: quãtũ auriq; & argẽti vtri insit.

[b] Odyss: δ. malorum omniũ obliuionẽ inducens.

Ista

IV

Ista singulorũ (Spectatiss. [a] Domina) hùc vsque viva vox est atq; vota, hæc omniũ singularis voluntas, quam vt (verbo licet) Honori tuo notam magis facerem, summè curaui. Quorum aliquos (verum enim ingenuè confitendum sine vllâ adulatione) *Greiorum* nomen sanè nobile conciliavit, alios amor tuus et respectus erga Collegium viuo filio honorificus permouit, alios in pauperes beneuolentia, liberalitas tua in omnes, precipuè post dolendam filij mortem attonitos penè reddidit, secum animo reuoluentes, quàm rara sit nunc dierum in parentibus patientia, ea vnquàm posteà ferre loca quibus ætatis *Deliciæ*, scilicet, filij, mortem oppetierunt; easdemue personas, quarum fidei et tutelæ commissi antea fuerunt: quasi homo non Deus, puluis aut cinis, non sacrum numen, Tutor aut Medicus, non mundi Creator vitã primò inspirâsset, suoq; pro libito eandem auferre potuisset. Magna certè fuere ista et admodùm inusitata at in hisce carminibus prelo committendis (si Pupilli Nobilissimus, in ore Tutoris minimè sordescere videatur solũ et sũmum incitamentum erat filij tui virtus, pietas, candor, religio. Quę quidem neq; adeò ieiuna, siue squalida prodijssent, quamvis cum Briseide verissimè exclamem,

[c] Ovid. Epist. 3.

[c] *Quascunq; aspicies Lachrymæ fecere lituras.*

neq; numero tã pauca fuissent, si grassante in Academiâ peste, subitus divini iudicij terror, & absentium manus haud detinuisset, & presentium ingenia ferè stupida non effecisset. Interim quæ aut illi, Amplitudini tuæ offerunt præ filij amore, aut ipse eorum omnium nomine, præ officio illo quod ei prestare vellem, qui amore & officio omni me semper est prosequutus; æquissimam, non dubito, inuenient æstimatricem. Quòd verò in hisce chartulis de [d] Nepote illustriss°: *Ioh Goodwin*, altero Collegij nostri flore, quem vnà cum filio vnus morbus, vna ferè septimana, vnáq; fatalis Mercurij dies viuentem & iacentem vidit, carmina passim a nonnullis interseruntur; pio (vti spero) amori, dolorisq; geminâ morte (heu!) duplicati vehementiæ tribuetur; quos in vitâ sanguinis propinquitas tam charè coniunxit, quos eadem camera, idem tectum recepit, eosdem simùl ferè moruos eadem Musa alto silentio præterire non potuit. Sed in hâc nostrâ ratione reddendâ vereor ne longiori forsitan, quàm par est, vsus fuerim præfatione. Concedat Deus pro immensa bonitate, Animæ tuę piæ, multùm diùq; afflictæ constãtiam et consolationem internam, æternam. *Oxoniæ, e Collegio Beatæ Mariæ Magdalenæ. 5°. Idus Martias.*

[d] Fil. Francisci Goodwin Mil. natu maximus.

Honoris tui studiosissimus

ROB. BARNES.

In obitum Nobilis. Iuvenis Gul Grey, Lachrymæ funebres.

INcipe flere prior (mea Musa), et lugubris aude
Flebile principium flebiliore modo.
Maiora vt fuerant de *Te* mihi gaudia viuo,
Sic tristi, luctus, funere maior erit.
Te siquidem primò cùm *Magdalena* recepit,
Spes de *Te* melior tum mihi mentè fuit.
Et meliùs semper de *Te* spes optima creuit,
Spes semper studijs vel saturata tuis.
Sed *Camera* infelix, *Domus* & mihi nostra videtur
Infelix nimiùm funere tota tuo.
Funere tota tuo Domus est atrata; dolensq;
Funebria effudit Carmina tota *Domus*.
In lare priuato deplorat quisq;, dolore
Et vinci gemit, & vincere quisq; cupit.
In luco *Charites* mærent, volucresq; recessu,
Atq; canit questus iam Philomela nouos,
Isidis ad ripas deplorant funera Nymphæ,
Et mæsto, mæstus, funere, plorat Olor,
Quisq; sui lachrymis deflet modò funus amici,
Deflet amantis amans, funera quisq; sui;
Sed tamen ipse fleo, mihi quòd charissimus Ille,
Debita *Naturæ* solverit ante diem.
Et meritò *Lachrymæ* solvuntur funere nostræ,
Nempè mihi cunctis charior ille fuit.
Omnibus et rité est plorandum funus; at ipsum
Plorandum est, omni vel sine fine, mihi.

RICH. BOVGHTON S. *Theol. Bac.*
Coll. Vicepræses.

PLus tua te virtus, quàm vel (*Gulielme*) Poesis
Nostra, vel vllius Musa referre potest.
Seu genus, & Proauos, & stemmata clara Parentum,
Gestaq; non vllo deperitura die,
Seu proprios specto mores candore nitentes,
Seu junctam verâ cum pietate fidem,
Seu reliquas animi dotes, quæcunq; beare
Humanum poterunt, vel decorare genus,
Omnes hoc vno viguerunt pectore viuo,
Nunc ornant tumulum, concelebrantq; tuum.
Quin tua mors cunctis Lachrymas extorsit ocellis,
Qui genium nôrunt, ingeniumve tuum.
Et qui non nôrunt, iuvenili in flore peremptum
Te, tantam Stirpis spem, perijsse gemunt.
Delicium fueras Musarum vivus, & illæ
Deliciæ fuerant (Greie diserte) tuæ.
Hinc te Cyrrha, Helicon, Phocis, Parnassus ademptum
Aoniæq; gemunt, Oxoniæq; scholæ.
Inter quas sparsis, flens Magdalena capillis
Effundit Lachrymas, victa dolore, suas.
Officium facit illa pium, dum Mater Alumno
Chara sepulturæ soluere justa parat.
Sed quis justa potest jacturæ reddere tantæ,
Cùm par sit meritis nulla querela tuis?
At tibi, mors Lucrum est, nobis jactura relictis,
Quêis tantum abripuit, tàm properata, bonum.
Eïa nunc (Iuvenes) Iuvene hoc discatis ab vno,
Quàm sint palmares, præcipitesq; dies.

Henr. Bust. *Doct. Med.*

Cur

CVr ſic funeribus me exanimas tuis,
Afflictum proprijs (ah!) nimiùm malis,
Prime inter iuvenum Nobilium greges
Splendor *Greyi*ugenûm Puer?
Eheu! quid merui? vel pietas mea?
In primogenitos quanta parentium,
In te nota ſatis, præcipiti fugâ
Cur te ſubtraheres mihi?
At non Pollicitus, cùm ſimùl vltimas
Voces (nulla dies quas repetet datas)
Stillantes liquido Nectare prompſeras,
Supremum meditans iter.
Ah Te! partem animæ dimidiam meæ
Matura abſtulerit cùm violentia,
Creſcentem in Patriæ perpetuum decus.
Quid ſperem vlteriùs, miſer?
Artes, ingenium, relligio, pudor,
Natales, bonitas, ſuauis et indoles,
Heu duras nimiùm flectere non Deas
Tercentum valeant ſacris.
Maturanda fuga eſt. Quò rapis Arbiter?
Quò me (ſumme Deus) ducis in arduum,
Tranantem volucri remigio æthera
Inter *Greyi*ugenas Duces?
Cinctam an purpureis viſere floribus
Greyi Cæſariem? ſic iuvat. Ibimus.
Quid ceſſo ſuperas inter imagines,
Teipſum agnoſcere cœlitem?

IOH. BVDDEN LL. *Doct. ponebat non ſine lachrymis.*

EXternum penitùs vultum tibi morbus ademit,
Vt tibi dissimilis corpore, (*Greie*) fores.
Scilicet, humanam debet deponere formam,
Quicunq; ad cœli sydera carpit iter.
Nec priùs exuvias mutâsti corporis istas,
Quàm virtus animæ culmine fixa stetet.
Eiâ agè, terra tuos quamvis abduxerit artus,
Numine præsenti mens tamen alta sedet.
Hei mihi! quò properas? cur fidos linquis amicos?
Regnat & in tenero pectore mortis amor?
In Latium propero, seruilia regna relinquo,
Regnaq; jam cœli non peritura peto.
Corpus terra tenet, plorans Academia nomen,
Est Matri luctus, spiritus astra petit.
Saxeus est tumulus, mors saxea, saxeus ille,
Qui transit siccis te (Gulielme) genis.

CAR. SOMERSET *Comitis VVigornienſis filius quartógenitus.*

COnsimilem monstro mortem depinxit Apelles,
Vna quòd hæc vivit mortua, cæca videt.
Cæca videt nimiùm: nã Mors tua lumina (Greie)
Sustulit, et Mortis vulnere fixus, obis.
Nouit qualis eras, annis *Academia* primis
Maturum, Iuvenem, censuit esse, virum.
Exuperans meritis vitam, virtutibus ævum,
Mortuus ante diem, Sanctus vt ante diem.

ED. SOMERSET *Comitis VVigornienſis filius quintógenitus.*

No-

NOstras cum reliquis lachrymas *Gulielmus* habebit,
Pro dempto doleat *compare* noster amor.
Te iam defunctum vix possum credere, iam iam
Te video mecum scandere templa Dei,
Mecum conuivam, tua vox has personat aures,
Argumenta, preces percipio vsq; tuas;
Henrico coram felici *Principe*, nuper
Orator dixti sedulus, atq; pius:
Et dixti, & vixti, quę vocis, clausula vitę est,
Spiritus vtrisq; et deficit, inde iaces.
Natus eras Magno, Sancto, Fortiq; Parente,
Et tanto certé tu Patre dignus eras.
Nobilis extabas genere, ac virtute, refulsit
In te cura Dei religiosa Tui;
Et fortem posthàc nósset Respublica. Cœlum
At video à nobis te rapuisse priùs.
Ergo vale, in cęlo dum te regnare beatum
Credimus, inde dolor fit minor: ergo vale.

ED. SEYMAVR *Comitis Hertf. nepos ex D^o^. Beauchampio Filio C. Hertfordiæ Filius natu maximus.*

O fatum! infelix factum! crudele, dolendum,
Dum perstas atrox quàm simile vsq, tui es?
Quid querar? vnde mei sumẽt primordia plãctus?
Vnà cum lachrymis fundere verba placet.
Nec meus arescet calamus scribendo, benignum
Imbrem dant oculi, & sat dabit imber aquę;
Occidis (Illustris) fatum (*Gulielme*) dolemus,
Te optâram fato candidiore frui;

Occidis(& noſter Socie,& Convivà,) timemus,
Vix mihi confido,proximus iſte timor.
Occidis (& Juvenis) non ætas prima videtur
Digna fide;eſt fallax,vita caduca,bonum.
Eſt pietas diuina,eſt virtus ipſa perennis,
Non habet occaſus,illa,vel iſta,ſuos:
Viri utem inde tuam,& pietatem ſiſtere poſſe
Mortem credideram,quæ tamen atra furit.
Et furit hæc in te, cui ſuccumbendo paraſti
Cœlum,quod dederit Chriſtus,& illud habes.
Spes hæc ſolatur Matrem,ſolatur amicos,
Munere quòd Chriſti cœlica regna tenes.
Lugeo defunctum,cœlum tibi gratulor,illud
Juſſit amor,pietas hoc velit,ambo fides.

GVL. SEYMAVR *Comitis Hertf. nepos ex D^a. Beauchampio Filio C. Hertfordiæ Filius natu minor.*

ATq; ego non adeò dicar crudelis, & excors;
Vt pro te nolim ſolvere lachrymulam.
Jnvida nam quàmvis vatem natura negauit,
Carmina dictauit miſtus amore dolor.
Ergò cape extremum noſtri breve pignus amoris,
Quodq; pari breuius fecerat ipſe dolor.

Quot lachrymas charæ matri,nutrici,& amicis
Liquiſti,totidem gaudia dent ſuperi.
Nec dubitò: Nam *quem teneris ſibi legit in annis,*
Hunc ſummus charè diligit vſq; Deus.

Ant. Morbred *S. Theol. Bac.*

Ca:

CAsibus humanis res est humana dolere:
Agnosco; *nec enim cornea fibra mihi est.*
Culpa tamen nimio siet indulgere dolori:
Qui plangis luctus siste proinde graues.
Ecquem, quòd *Greius* modò viuere desijt, angat?
Parcito, tùm vitâ cœperat ille frui.
Vita hæc vix vita est; verum nunc transigit Ævum.
Et vita æternùm perpetuanda datur.

Ed. Carpenter *S. Theol. Bacc.*

ERgon' æthereâ non vescitur ampliùs aurâ
Greius stirpe valens, sed pietate magis?
O vana integritas morum! ô pietatis inane
Nomen! Nil proavi, nil pietasuè valet?
Immo valet pietas, feret hæc modò præmia digna,
Crede mihi, sanctos præmia magna manent.
Præmia magna manent sanctos, sed vita caduca
Non dat digna pijs, vita futura dabit.
Ergô quò citiùs referant sua præmia læti,
Accelerant mortem fata benigna bonis.

Plangere defunctum *Greium* non Musa Latina
Sufficit. O vtinam *Graia* camæna queat!

Τέθναεν ὁ Γρεῖος, Καιπὲρ ἀκμαῖος νέος,
Νέος, καὶ εὐπατρὶς, καὶ εὐσέβης μέγα.
Οὐ θαῦμα γ' οὐδὲν γέγονε. Κηρὶ γὰρ μέλει
Οὔτε νεότητος, οὐ γένους, οὐδ' εὐσέβους.
Θαυμαστὸν οὐδὲν ταχ', ἀποθνησκεῖν νέον,
Ὃν γὰρ θέος φιλέει, ἀποθνήσκει νέος.
Θαυμαστὸν οὐδὲν εὐγένεα Κήρ' οὐ φυγεῖν,
Οὐ γὰρ διὸς φίλον τέκος Κήρ' ἔκφυγε.

Θαυμαστὸν ἀδὴν θεοσέβεα γαῖαν λιπεῖν,
Οὐ γὰρ βραβεῖν τὶς ἔτυχ' ἡ γαῖαν λιπὼν.

Quis rumor aures pepulit? Heu funus novum!
Goodwinus abijt *patruo* extincto comes.
O fata dicam iniqua, vel potiùs nimis
Æqua? æqua defunctis, quibus consortio
Jam duplicastis gaudium: verùm tamen
O nimium iniqua parentibus, geminum quibus
Funus dolorem vix ferendum reddidit.
Sed credite beatos: Dolor leuiùs premet.

Tho. Phippes *S. Theol. Bac.*

HVnc etiam Juvenem, teneris dum carpis in annis,
Defuncto, an viuis, trux Libitina noces?
Funus ei felix, nobis lugubre: parumque
Jlle suis vixit, qui satis ipse sibi.
Non tibi (*Greie*) deest mundus, tu (*Greiole*) mundo,
Nam Rosa tu mundo, qui tibi Spina fuit.
Ergo boni desiderio tua funera flemus;
At tibi pro lucro est *Greie*, carere malo.
Sed quia miscentur nostro tua commoda damno,
Trux Libitina nimis, trux Libitina parùm est.
Non *Lucrum* invideo, *Spinâ* non pungier optem,
Gaudeo, vixisti quòd *Satis* ipse tibi.
Quin hoc addiderim (tanta est facundia luctus)
Quæ latuit virtus viva, perempta viget.

Miseri quid hoc est? Luctus accedit recens,
Vndamq; vt vnda, impellit alternus dolor:
Serpentis instar, mordicùs caudam premis

Æter-

Æterne luctus: ecquis est flendi modus?
Goodwinus (heu) concidit charum caput,
Greioque consors sanguinis, tecti, necis.
Mors perge dira, nobili infamis pari.

Cur tu doloris vendicas partem mei
Goodwine? Carmen funeri nullum tuo
Dicare voluit Musa. Nam *Greio* dolor
Litâsse soli statuit, & totus: tuum
Sed ecce funus diuidit Musæ genas:
Duos ocelli compares deflent duo,
Amboque deflent ambo: sic junctus dolor.

LAVR. HVMFREDVS, *S. Theol. Bac.*

DVm pulchro viguit formosa in corpore virtus,
Et Scythicus Graio splenduit Ore Vigor:
Juncta erat Artifici genitrix *Natura Labori*,
Et jactabat opus Numen vtrumq; suum.
Cum perijt teneræ præcellens gloria formæ,
Ingenij dotes ac periere tui,
Protinùs infaustos celebrat Mors dira triumphos,
De Gemino spolium jactat habere Deo.
Hinc *Maria* in lachrymas tota est diffusa liquentes,
Naturæ fabricam deflet, & Artis opus.

Ric. Loue *S. Theol. Bac.*

MOrtem ego flebo tuam, diffundam in funera fletũ,
Suadeo dum cunctis discere velle mori?
Mortem ego flebo tuã, diffundam in funera fletũ,
Dum nôrim, rectè te didicisse mori?

Non te defunctum flebo, meliore potiris
Vitâ, est in lucro mors tibi, vivis adhuc,
Vivebas Christi membrum (*Gulielme*,) peribit
Christi pars nulla, haud pars perit vlla tui;
Ille tibi præiens sedem, regnumq; paravit,
Quod tu speraſti: spes tua certa fides,
Acceleraſq; gradum iuvenis (*Grese*) in cola cœli es,
Metam expectatam tu pietatis habes.

Hen. Perior. *S. Theol. Bac.*

NAtivus quando sunt Exanthemata morbus,
Pellere naturam non Medicina potest,
Cumq; dies homini Deus illuxisse supremos
Constituit, sanctę nil valuere preces.
Nobilis inde iaces (*Grese*) et natura, Deusq;,
Vnanimes mortem cum voluere tuam.
Illa parens corpus lethali vulnerat ictu,
Iste pater mentem ad sydera summa rapit.
Nos tamen interea volumus deflere peremptas
Tecum virtutes, queis benè clarus eras,
Nobilis in terris fueras, et nobilis vsq;
Cœlo es, quem Christi nobilitavit amor.

Henri. Chittie *Medicina Stud.*

Ad Lectorem.

COntra vim Mortis si Flos viguisset in hortis
Proh! Medici medicam dextra tulisset opem.
Sed non hæc mihi vis, Mortis quæ proroget horam, est:
Hęc, luctus testes, carmina (Lector) habe:

Per-

Perpetuos præſtare dies, dare *pharmaca* vitam
Non poterant: poterit *Muſa* vetare mori.

Eheu! quid ſibi vult *Imago Mortis*?
Cur picta eſt geminis carens ocellis?
Cur linguâ caret? auribusq; binis?
Cur pectus vacuum? carensq; corde?
Cur tota *oſſea* ſit, nihilq; prętèr?
Cur gerit iaculum nihilq; prętèr?
Forma quid ſibi vult tremenda *Mortis*?
Orba lumine *Mors* vtroq; cæca eſt,
Quæ non reſpiciat genus, vel annos,
Aut pulchro faciem rubore tinctam:
Mors linguâ caret, et nequit monere,
Vel notam dare vulneris futuri:
Non audit miſeras preces clientûm
Supplicum; caret aure & hâc, et iliâ:
Et caret (pietatis omnis expers)
Corde, quod pietas mouere ſperet.
Sed tota *oſſea* ſit, nihilq; prætèr,
Et ſerens iaculum, nihilq; prætèr,
Mors, tantùm, effera vulnerare novit,
Senſuſq; indiga, prętèr oſſa, nil eſt.
Eheu! hoc ſibi vult *Imago Mortis*.
Quod prudentia ſęculi prioris
Finxit, terribilem datura *Mortem*,
Vno hoc vulnere poſteri nepotes
Clamemus nimis, heu, nimisq; verum.
Nam qui (*Greie*) Tibi cruenta fata
Atrox accelerat negans monere,
Vel notam dare vulneris futuri:
Nam qui vota, preceſq, tot dolentûm

Negligit, pietatis omnis expers:
Qui *Matris* lachrymis, stupore *Matris*,
Et modum superantibus querelis:
Qui piis lachrymis *Sororis* almæ:
Qui *Fratris* gemitu viriliori:
Qui *serui* lachrymis fidelioris,
Vel (qui tantus erat) dolore *serui*,
Vel (qui tantus erat) stupore *serui*,
Proh! proh! terribilis negat moueri,
Hunc linguâ, hunc oculis carere, & aure,
Pectorisq; fibris, pioq; Corde,
Atq; omni penitùs carere sensu
Dicamus populus Tibi superstes.
Hęc est effera *Mors*, cruenta, dira,
Non quę picta modò est *Imago Mortis*.

In Gul. Greÿ symbolum

Laudem præter, nullius avarus.

Debita est *virtutibus vna merces*
Gloria: hęc vivis Comes, et sepultis:
Quam dies nullus rapiet perenni
Fronde virentem.
Ergo defuncto dare quid moramur
Debitam *Greÿ* studiis coronam?
Est vbi laurus? vel vbi labores
Palma rependens?
Vota defuncto scelus est negare,
Vota defuncti nisi sint iniqua:
Præter at *laudem fuit Hic, rei nullius avarus.*

In mortem immaturam illustrissimi Iuvenis Gul. Greij, et charissimi nepotis eius Iohannis Goodwin.

Quos *Amor* vnus, et vna *Domus*, quos *Sanguinis ortus*,
Quos *Ætas*, *Morbus*, similis *Mors* iunxerit; illos
Grande nefas nostro fuerit, discernere, versu.
Ergo agite illustres ætate, & amore Gemelli;
Vos, quibus in vitâ fuerat *Con-viuere* dulce,
Dulce putate ità *Com-morier*. Tu lætus, et Ille;
Tu, *Patrem* vidisse: *Is*, *Avum*: quem sede locatum
Cælesti *Natum*, et iuvat agnovisse *Nepotem*.
Sors equidem iucunda foret, sic viuere, Nobis,
Sic, iucunda, mori: si quid sit fortè dolendum,
Est, quòd non eadem comprêenderat *vrna* sepultos:
Sed quæ *terrestris* suffecerit *vrna Duobus*
Tàm grandi ingenio, tàm claro stemmate *natis*?
Nulla sat est: vrnâ sin vultis iungier vnâ,
Cœlum est *vrna* capax, *vrnâ* requiescite in illâ.

Ed. Lapvworth. *Med. Stud.*

ACida si flendo fontem Galatea refudit;
Factaq; flendo arbor si Phaethusa fuit;
Si Niobe fleuit natos fatosa peremptos;
Andromache flevit si Astyanacta suum;
Quis *Magdalenam* prohibet lugere iacentem
Greium? perpetuò quis modò flere vetet?

Proh fata invida! proh scelesta fata!
In duos ineunt duæ Sorores
Sævum consilium: volunt peremptos:

Hoc certò ſtatuunt truces; ſed vſq;
De Mortis genere ambigunt: nec illa
Moveri precibus volet ſceleſta,
Iſta nec precibus volet ſceleſta.
Mors adſtat, fera mors, et inſtat: æquè
Ferox *Parca*, fero tremenda cultro;
Inſontes quoq; iam necare certa
(Hei!) nec dum mediâ colo recidit
Vitæ ſtamina: quo dolet peracto,
Et nunquam tetigiſſe fuſa mallet,
Et rupiſſe tenella fila nunquàm.
Nunc inviſa manus, colus peroſa,
Peroſus quoq; triſtis ille culter,
Indignum quoniam ſcelus patrâſſet.
At ſerum eſt: nequit vlla ſors redire
Retrò, lex neq, pœnitenda fati eſt.
Greius interit, et ſimul *Godinus*,
Occidit Patruus, Nepos perivit,
Vitâ dignus vterq; longiore,
Et Fato meliore vterq; dignus.
Sed modo ſimili, pariq; morbo
Necauêre duos duæ ſorores,
Proh fata invida! proh ſceleſta fata!

Samp. Newton *Art. Mag.*

Planetarum aſpectus tempore Mortis Gul. Greij 18. die Februarij 1606. inter horas 12^m. et 1^m. mediâ nocte.

ASTrologi quæ multa crepant, Prætoria non ſunt,
Omnia nec facili percipienda fide;

Non morimur fato, fatum ſcribente planetâ,
Qui mortale genus condidit, ille necat:
Scilicet hæc vox eſt Medicorum publica; Phæbe
Parce pater, Sydus forſitan ipſe negas.
Nec tamen hoc quēquam Medicorum, credo, loquutū,
Quod ſequitur cœli ſydera nulla fides;
Nuper ſcire volens quid dira Anthemata poſſint,
Si morbo vires ſtella maligna creet,
Aſpexi ſubitò quæ ſint præſagia cęli;
Quodq; dabant omen ſydera, Muſa refer:
Sanguineas Mavors, quo nullus amicior Orco,
Cum Phæbe invitâ, corpore iunctus erat,
Vtraq; vis pariter metuenda; tremore pavebam,
Morsq; animo præſens, quæ ſequeretur, erat.
Inviſe ô Mavors! Venetis pete brachia, dixi,
Non ſit Luna tibi, ſed tibi grata Venus.

Rob. Willughbeus. *Med. Stud.*

Defuncti *Greij* virtutes, nobile ſtemma,
Et vita, & mores (cum pietate) probi,
Carmine dicantur noſtro: quin Nobilis ille
Vate quidem meruit nobiliore frui.
Vendicat iſtud opus qui alienâ gente remotus
Non potuit binis vnus adeſſe locis.
Vita, genus, virtus, linguę, mors (Optime *Greie*)
Stabit *Areno ſo* res tua nota *Vado*.

Tho. Loftis. *Art. Mag.*

GAllica Muſa negat carmen, nam muta dolore
Obſtupuit fatis (ô *Gulielme*) tuis;

Vndè vacare ſuis lachrymis quô triſtior illa
Poſſit, in hunc *cumulum* non ſua vota dedit.
Effuſas lachrymas credit lenire dolorem,
Seq; carere ſuo poſſe dolore negat.

Henricus Hall. *Art. Mag.*

Ovid. de Triſt. lib. 1. eleg. 3.

CVm ſubit illius triſtiſſima noctis imago,
Quæ Greio extremum tempus in orbe fuit,
Crudeles parcas, & ineluctabile fatum
Conqueror, heu mœſtos cogor inire modos.
Triſtes ille Elegos, tragicos hic vibrat Jambos,
Cuncta ſed incaſſùm: ferrea Parca manet.
Ergonè præluſtrem juvenem domus iſta ſilebit?
Nec ſua (quæ meruit) præmia digna feret?
Tàm citò num ſubeant meritorum oblivia *Greij*?
Jllaq; Lethæjs merſa dabuntur aquis?
Nil benefacta valent? nil neſcia fallere vita
Promeruit laudis? nil pietatis amor?
Jmmò (Epicure) ſile; prorſùs tua dogmata ſordent:
Greius (in æternum) hinc nobile nomen habet.

Ed. Vnderhill, *Art. Mag.*

D*ijs charus, moritur juvenis*, vox nota profanis.
Jndulgere pijs nos pudeat lachrymis.
Sons animi, celeres quiſquis ſatanizat in horas,
Erigit inferni pegmata quiq; Deo,
Js plorandus obit populo: ſingultibus altis
Faxit, & iſtius funera pulla cohors.
At pius hic juvenis jacet inſontiſſima Jovæ
Victima, candidulis concomitanda ſtolis.

Nam;

Namq; aderant Charites trunco, cerebroq; Camœnæ,
Cognitio linguæ, moribus alma quies.
Angelicas habitare domos tàm digne piorum
Cur ergò invideo, cur tibi (*Greie*) chorum?

Rich. Humfredus *Art. Mag.*

Pro Nobiliſsimo Pupillo defuncto Tutoris dolor.

QVid fundis *Lachrymas* pia Magdalena? quid, oro,
Mœroris Socij, fletis, amica cohors?
Jnvideo lachrymis (liceat modò dicere) veſtris:
Jn lachrymas ſolus, totus et ipſe fluam.
Nempè meus luctus, luctus ſupereminet omnes;
Jn lachrymas ſolus, totus et ipſe fluam.
O dolor! ô penitùs noſtris infixe medullis,
Quò Dominum rapies, quò (violente) tuum?
Ante oculos errat, veluti præſentis imago
O *Graij*, ô menti triſtis imago meæ!
Nunc venit ille mihi, nunc me quòq; nominat ille,
Hæreſcit lateri nunc comes ille meo,
Nunc petit Hiſtorias, ſapientum dicta requirit,
Et nunc propoſita eſt diſcutienda Theſis.
O dolor! ô Proteu! ſumis qui mille figuras,
Et ſpectris animum decipis vſq; meum!
Non venit ille mihi, non me iam nominat ille,
Non hæret lateri iam comes ille meo.
Quò dolor exundas? vbi flendi finis habendus?
Cur iuvat vſq; meis illachrymare malis?
Si Muſæa peto, libros ego perlego ſolus,
Et Muſas ſolas tùm quòq; credo queri.

Rhetoricos ſolus, ſoluſq; evoluo Poetas,
Ac illos ſolos auguror eſſe miſer.
Siuè foràs animi cauſâ feror, ambulo ſolus,
Et volucres ſolas tùm quoq; credo queri.
Tum campos ſolos, & currere ſola fluenta,
Auguror, & ſolus ſinc ula ſola miſer.
Ex quo nempè fuit triſte, illætabile funus,
Funus deflendum vel ſine fine mihi;
Lux ingrata nimis, nox irrequieta videtur,
Jnviſum tempus præterit omne mihi.
Hoc tamen hoc triſtes ſolamine lenio caſus,
Me nunquam officium depoſuiſſe meum.
Jn vitâ, obſequium, lugubri in funere notum eſt,
Audita, exequijs, Concio noſtra rudis.
Teſte vel inuidiâ, *Greÿ* non defuit vnquam
Cura, quoad potui, prouida cura, mei.
Hîc Baculum figo, ſupremaq; funera, *Greio*
Et lachrymas fundo, & carmina pauca, meo.

ROBERTVS BARNES *Art. Mag.*

Memoriæ nobiliſſimi, ſtudioſiſſimiq; Iuvenis GVIL. GREY, *menſe Feb. defuncti.*

Feb. in tutelâ Plutonis. Macrob li. 1. c. 13. Satur.

ET meritò *Februus Ditis ſacratur honori*;
Non alio hic dignus præſide menſis erat:
Dùm rapit (ô cœlũ!) ſpem nominis vnicam aviti,
Ni quid *Homo Divũ* plus pietatis habet;
Atq; habeat, ſuperi: ſic, ſic quæ perdita in *vno* eſt,
Hæc *alio* nobis ſpes renovanda manet.

Do

De horâ, quâ mortuum prænuntiavit campana.

Nec mea me fallò decepit opinio: Mane
Ad sextam, quo tàm tristè est campana loquuta,
*Lectur*æ modò signa dari sum suasus; & Ecce,
Sic factum est; vbi, quàm potuit Stagirita docere,
Præceptum exhausi melius, te, *Greîe*, docente;
Debemus morti nos, nostraq.

In obitum Gvil. Greij, *&* Joh. Goodwin *avunculi, & nepotis, vtriusq. eodem morbo, correpti.*

Libitina; dextram quin tene; dic quid paras
Sceleſta? Tibi non funus est vnum satis?
(Ah nimium at vno funere, hoc vnum fuit.)
Sceleſta rursùm dico; Nam non te timet,
(Iu iusta in istud sis licèt) pectus meum,
Sceleſta, quin sic pergis in funus, novum
Cumulare funus? Mense, quindenâ, die
Eiusdem eodem, mensis; idq; vnâ ex domo,
Camerâ ex eâdem, vt tam pios, tantæ spei
Juvenes, eodem vulnere occidas, duos?
At parce; Novi, iusta cùm tu sis Deûm
Minister iustûm, nil quod iniustum egeris.
Natura mater, voluit et matris Pater,
Vnum Relatum si perit, perit alterum.

Brianvs Holled *Art. Mag.*

Ad

Ad Honoratiſ: Matrem Conſolatio.

QVi dolet, *amiſſum* quid, et *infortunia* deflet.
(Heröina potens) quid gemebunda doles?
Non eſt *amiſſus* nobis ràm charus alumnus,
Sed *præmiſſus*: eum, quiſquis is eſt, ſequitur.
Illa nec acculet ſortem, cui filius olim
Natus *homo*, moriens nunc erit ille *Deus*:
Quid defles igitur? quaſi in *vno hoc* ſtemma periret
Totum? ſpes ſupereſt, dum ſupereſt *pietas*.

De genere morbi.

Cum de forme daret tibi ſordida puſtula corpus,
Membraq; funeſtâ rabe repleta forent.
Ne pertæſa ſui malè grati carceris huius,
Inviſam coleret, mens tua læta, domum,
Ad ſuperos abiit: quò ſani corporis ipſe
Opto animam dudùm poſſe volare meam.

Querela I. B. ſub perſonâ A. D. Fideliſ. ſerui.

O ſi plangentis voluiſſent funera ſerui
Triſtia, quę dominum rapuerunt fata benignum!
Non ego vixiſſem tua poſt hęc funera ſervus,
Sed Tu Neſtoreos vixiſſes nobilis annos
Poſt mea ſeruorum Dominus: non mortuus eſſes,
Si dolor, aut lachrymæ, luctus, ſuſpiria, planctus,
Vel mea ſi trinas potuiſſent flectere Parcas
Vota, preceſuè Deum noſtræ moviſſe ſupremum,
Deniq; ſi vitam vitâ mutâſſe liceret,
Iam tua (quâ frueris vitâ) mea vita fuiſſet.

Ioh. Burroughes *Art. Mag.*

Fata

Fata ſemoto tua quis dolore?
Quis tuos caſus animo quieto?
Quis tuum funus (*Gulielme*) ſiccis
Spectet ocellis?
Me tuum certè movet eruditum
Pectus, inſigni pietate præſtans,
Indolis raræ bonitas, et ingens
Mentis acumen.
Vos decent (Muſę, Charitesq;) planctus,
Te decet fletus (pia *Magdalena*)
Morte funeſtâ perijt Minervæ
Dulcis alumnus.
Sed nihil fletus, lachrymęq; prosunt,
Corpus in terris recubat, piusq;
Occupat (Chriſto duce) perbeata
Spiritus astra.

Alex. Martin *Art. Mag.*

DIxerat Æneas[a] Vanum Pallantis honorem:
Nec vanus tamen ille viros ornarier armis
Mille iubet lectos, Euandro funus acerbum
Vt portent patri ter mesto. Diximus et nos
Talia Magdalidæ *Greiûm* prænobile germen,
Germano gemitu fruſtrà defleuimus omnes.
Fruſtrà priuatis lachrymis indulſimus: Atqui
Nunc Matri qualem meruit Pallanta frequentes,
Reddimus incomptis comitatum verſibus, (Arma
Qualia Muſarum ſunt fortia et optima) ſortè
Exigua ingentis luctus ſolatia Matri,
Non tamen exigui aut temnendi Munera amoris.

[a] Aeneid. 11.

Iaco. Wrench. *Art. Mag.*

FLere leves curæ possunt; ego corde dolorem
Sentio pungentem; prorsus & obstupeo.
Fœdus amicitiæ nullum mihi; cur dolor ergò?
Num matris quòd Spes vnica, solus erat?
Falleris; hoc nostrum non sic augere dolorem,
Causa potest lachrymas ista movere meas.
Ergô solus eras immensi causa doloris,
(O fœlix animi prosper & ipse pijs)
Tute domus, stirpis, poteras sarcire ruinas,
Ni raperent vitæ stamina fata tuæ.
Nulla animis, nulliq; ausis, aut arte secundus,
Nam fuit in labris Suada, Minerva, tuis.
Et pietatis amor, morum consensus in illis
Enituit; puræ hinc relligionis honos.
Non fictis opus est te tollere laudibus. audin?
Omnibus æternas linquis & (heu!) lachrymas.

ED. OTTHEN. *Art. Mag.*

Apostrophe ad Musas.

Λαμπροτάται κούραι Διὸς, αἰδέσιμοιτε γυναῖκες,
Ταχύτερον νέον ἀποθάνοντα πάριτε δακρύειν,
Θρηνῶδες τε μέλος διπλοῦν, φεῦ φεῦ τε στενάζειν.
Εἴγε θαν' ὄνοματος μέχρι σπουδῆς τε φιλέλλην,
Σφωιτέρου τε χόρου κητώδης δόξα καὶ εὖχος.
Εἴγε θαν' ἀρειοῦ γονεὼς ὅδε ὄσχος ἀγήνωρ,
Γειναμένης τ' ὄσχος καὶ γνήσιος οὐρανοφρῶνος.
Εἴγε θὰν' οἰκίας πατρικῆς μόνον οὗτος ἔρεισμα
Ρωμαλέον, θάνε πρόσθε μόρου γλυκεροῖσσιν ἐτεσσὶν.
Ἔστε μὲν οὖν μοῦσαι κυανοστόλοι καὶ βαρυθύμοι,
Μαρμάρινον λεπτοῖς κονδύλοις κόπτετε στέρνον,
Τίλλετε καὶ πλόκαμον περικάλλεα χερσὶ δίαιμοις.

Ἔγεθαν ὀνόματος μέχρι σπουδῆστε φιλέλλην,
Σφωιτέρουτε χόρου κητώδης δόξα καὶ εὖχος.

Ad Defunctum.

Ταῦτα χύδην μοῦσαις εἶπον, σοί τοῦτο δὲ φημὶ,
Ὦ νεάνισκε θέῳ πολυφίλτατε, μοί τριπόθητε,
Αἴθ' αὐτὴν δυνάμην καὶ σοί ψυχὴν ἐπιβάλλειν.

Ad Lectorem.

Si tibi læta parùm ſint carmina noſtra, dolorem
Jndè meum agnoſcas, mens mea læta parùm!
Jnuitâ hæc ſcripſi Muſâ, nam Muſa negauit
Cultori officijs buſta parare ſuis.

De genere Morbi quo extinctus occubuit.

Quid *violas* Medici? quidq́; *Exanthemata* dicunt?
Vlcus quid pulchro nomine putre tegunt?
Hæ *violæ*, precor, illorum naſcantur in hortis,
Qui medicâ poſſunt arte fugare malum:
Pellere *Muſa* nequit fœdos medicamine morbos,
Herbarum ſuccis nec cohibere luem;
Ergô apagè à noſtris fœdiſſima puſtula Muſis,
Aut tu, quæſo, tuum protege (*Phœbe*) chorum.

Quòd Ioh. Goodwinus Nepos mox poſt Avunculi funus eodem genere Morbi occumberet.

Quid Mors dira paras? avidum quid pandis *Avernum*?
Funere quìd funus ſic cumulare placet?
Annè doles mortale genus non omne perire?
Atq́; *Erebi* regem tanta cupido premit?

Fallor ego: non ſunt nobis ſic invida fata,
Nec *Ditis* rabies tanta; quid indè? loquar.
Credo, Nepos doluit quòd Avunculus aſtra teneret
Aut prior, aut ſolus: ſic placet indè ſequi.

JOH. DVNSTER. *Art. Mag.*

INfima ſic tranſis, ſic ſumma papavera carpis,
Sic agitas ventis pinos, parciſq; myricis,
Sic pede non æquo pulſas turreſq;, caſaſq;,
Mors nimis invida; nobilibus ſic retia tendis,
Pauperibus mitis. minor eſt iactura minorum.
Præſidium multis, ſi non *Onomantia fallat*,
Nomine *VVillelmus*, *Greiûm* ſpes altera ceſſit,
Afflictæq; domus haud firma columna fefellit.
O dolor! ô facinus! pietas non prorogat horam,
Nec doctrina moram fatis accommodat vllam.
Quæ nos fata manent? quę Numina dira minantur?
Sunt quibus vnum opus eſt *huius* celebrare triumphos
Carmine perpetuo, quos Attica muſa parauit
Aönijs cattis, & linguæ mellea Suada.
Grandia conamur tenues. Dialectica pugna
Materiem nobis largam campumq; miniſtrat.
O quàm te memorem, Juvenis fortiſſime! telis
Vndiq; vibratis, quaſi fulmine, ſæpiùs hoſtes
Armatâ proſtrâſſe manu, errorumq; catervas!
O quàm te memorem iuſti veriq; patronum!
Vnum quem potuit non vincere turba Scholarûm.
Sed jacet ô noſtræ Guielmus gloria claſſis!
Quàm citò magna cadunt? ſummis quàm ſtare negatur?
Sic fuit in fatis: celſi Regnator Olympi
Suſtulit ad cœlum ſcrutantem ſydera cœli,

In-

Influxus, motus, lumen, vireſq; moventum.
Iam capit hunc cœlum, cœli quem ceperat ardor,
Jamq; patent oculis, quæ vt noctua viderat antè.
Sed tamen è terris ſolus nec Avunculus exit,
Ponè Nepos ſequitur *Godovinus*, nobile compar.
Noluit Ille mori ſolus, cœloq; beatus
Eſſe negat; terris Hic ſolus vivere felix.
Sic quos par terris ſanguis, ſtudiumq;, voluntas,
Mors eadem cœlis, eadem quoq; puſtula iunxit.

Car. Kirkman. *Art. Mag.*

LVgere potui, lachryma ſed prodeſt nihil,
Et verba potui fundere, at verba irrita
Noſtri doloris pignora, haud apta arbitror.
Vellem aliquid iſto funere indignum licèt.
Lamenta, planctus, quos poteſt promat dolor:
Jſtæc ſuperſunt munera, ac iſtæc dabo.
Nec ſolus iſta proſequor, mecum gemunt
Academia, Patria, Magdalena, iſtæ ſimul
Trinæ ſorores mœſta lamenta egerunt.
Iſtæc Alumnum, & Jlla Solamen ſui,
Tertia repoſcit Quem ſuum novit decus,
Omnes peremptum Nobilem *Greium* dolent.
Pergant, doloris quælibet cauſam obtinet.
Doctus peribat, flugeant Muſæ piæ;
Virtute cultus obijt, hinc patriæ dolor;
Iacet benignus, charus, & ſtirpe inclytus,
Pius, ſuumq; Gaudium, ac Honor ſuus,
Hinc Magdalenæ flumina exundent magis,
Magiſq; lachrymas fundat, huic fiant genæ
Fontes aquarum, gutta diſtillet novis

Comitata guttis prodigè, haud placeat modus.
Artes Alumnum defleant; Virtus suæ
Vel Spem salutis mortuam infelix fleat.
Pietas queratur cadere Cultorem suæ;
Linguæ stupescant, cecidit ac illis Decus:
Latina Græcis, Gallica & brevi admodum
Iunxit Latinis; Tantus elinguis iacet.
At non iacebit, loquitur, & voce omnium
Loquatur, vnum id inter homines & dabit
Virtus; (quod inter cælicos pietas dedit)
Famam perennem: fama si perstet Bono
Amica: si non, noster at viuet dolor:
Detrahere dextram cupio, verborum satis;
Sed nequeo, de te dextra dum scribit, manet
Tecum libenter; at priùs cum tu manum
Rapis, valeto, flebile hoc capias, Vale.

Habita in Aulâ tempore prandij funebris.

HAud expectatus venio, dum fio poëta
Non nascor, natura negat: dolor omnia qui vult,
Omnia qui poterit, cogit me verba referre,
Verba referre modo conscripta, & limite certo.
Orator dixit, dixit pius ille Scholaster,
Sermo solutus erat, talis dolor illius, ipse
Succedo, si non videar seruare decorum
Ordine, responsum est non mors id curat, habete
Quas mea de *Greyo* diffundet musa querelas.
Occidit Illustris *Gulielmus Greyus*, at ille
Quis fuit, & qualis? dicam, faueatis oportet:
Natus erat magnâ *Greyorum* stirpe *Dynastûm*
De *VVilton*, primo processit stemmate clarus.

Cla-

Clarior evaſit, Muſæq; Arteſq; ſtudebant,
Infantem vt decorent, ad maxima munia natum.
Hunc *Eton* primò accipiens elementa docebat
Prima, puer vincit, palmas vt præmia portat.
Poſt primam ætatem (ſtudio flagrante Minervę)
Fons vbi doctrinæ eſt noſtras contendit Athenas.
Dirigit huc *Generoſus* iter, ſuſceptus in iſtis
Ædibus, haud hoſpes vixit, ſed vixit Alumnus.
Cui non gratus erat? cui non ſtudioſus habetur?
Quis non miratur iuvenem? laudabat? amabat?
Relligionis erat cultor, mirabilis ille,
Virtutis fuerat cultor, laudabilis ille,
Muſarum cultor, Muſis & amabilis ille.
Illìc cęnabat, quiſquis conviva, doleto;
Hìnc argumentum ſtringit, lugete ſodales
Militis iſtius; poſt raucè perſtrepet Aula,
Hîc fuit orator, vocem, geſtumq; decorè
Temperat, atq; illi multa eſt facundia linguę;
Cætera quò taceam, cui non commercia vitæ
Dulcia viſa? cui non pura atq; optima viſa?
Naſcitur, et vixit, *magno* vt cui vita *parente*
Digna eſt, degenerem quem nulla fatebitur ætas.
Hactenus, excrevit *Gulielmus* noſter, & vſq;
O ſi creviſſet, non dum moriturus in herbà!
Optima ſed fluitant, breuioráq; eſt ſumma voluptas;
Hic Sol exoriens rapidè dimergitur vndis,
Neſcia ſtare loco *virtus* ſe morte recondit.
Ad iuvenem primò præmittunt nuncia mortis
Quæ docti Medici dira Exanthemata dicunt;
Illa premunt grauiter, faciunt langueſcere *Greyum*:
Pars morbi erumpit, complet pars altera guttur,
Strangulat incluſus morbus, *Quis talia fando*

Tem-

Temperet a lachrymis? procedas flere poëta;
Srangulat incluſus morbus; Quod nempè dolendum eſt,
Sic perit *Illuſtris Gulielmus Greyus*, obiuit,
Flebilis audita eſt nobis vox, *occidit ille.*
Campanile gemit, nox facta eſt mortis imago.
Advenias Aulam, fugerunt [a] Sydera ab Aulâ,
[b] Altera nutavit Steila, & Stella [c] vnica fulſit.
Luminibus priuata ſuis hæc Aula dolebat.
Omnia mutantur, præſentant omnia mortem.
Defuncto quid iam ſoboles Wanſletica præſtet?
Defunctum lugent, ac funera ritè celebrant.
Virtutes Juvenis ſonuerunt Roſtra diſerté,
Atq; (ego quæ recolam) ſignârunt mœnia chartis
Muſarum ditata pijs, ditata camœnis.
Sedulus omnis erat gratum vt teſtetur amorem.
Pergere ſed voluit iuſtus dolor, hoc quoq; mirum eſt,
Turbida quòd mœſtam tenuerunt nubila lucem
A morte hic tumulum donec deſcendit in imum
Nobilis extinctus *Greyus*: quaſi flere videtur
Cœlum ipſum, miſeris indulgent caſibus aſtra;
Ergo fluant oculi lachrymis, conſtringier haud vult,
Diſſoluatur amor, tundantur pectora planctu.
O ſi vivus adhùc plures creviſſet in annos!
Tum Domus haùd tanto Fulcro viduata ſtetiſſet.
O ſi vivus adhùc plures creviſſet in annos!
Noſtra hæc ſub quanto viguiſſent *tecta* Patrono?
O ſi! ſed ſiſtam frendentes fluctibus vndas;
Mors triſtis non eſt, facta eſt hæc ianua cœli;
Et cœlum intravit *Gulielmus*, ſiſtite planctus,
Adq; epulas iſtas, eius *Clariſſima Mater*
Vos invitauit, voluit ſic plaudere Nato
Iam cœlum intranti; Vult illa, & ſancta iubebit

[a] Car. Somer. Ed. Somerſet.
[b] Ed. Seymaur. ægrotans,
[c] Gul. Sey:

Hoc

Hoc pietas, menſis gratè vt recolatur in iſtis
Greyus defunctus, longum recolatur in ævum.
Parcite ſi breuior fuero ſteriliſq; perempto
Debebam hos gemitus, quos ſi prẽſtare nequibã
Vt decuit, præſtare hos at quòcunq; volebam.
Incomptus, rudis, audax, inconſultus habebor,
Eſt amor, eſtq; dolor qui me fecere loquentem,
Non fucatus amor fallacem negligit auram,
Et dolor iſte pius temnit convicia linguæ.
Vnũ hoc de *Greyo* mea vox gemebũda loquatur,
Natus erat magnus, vixit pius, incola cæli eſt.

Tho. Maſon. *Art. Mag.*

DVm necto tibi (*Greie*) modos, et funebre Carmen,
Vix habeo promptas in mea vota *Deas*:
Nam Muſæ ſiluere, vetus non adfuit ardor,
Ingenium magìs eſt, et magè ſenſus hebes,
Lingua riget, nullo ſuccedunt ordine verba,
Et negat optatos penna referre pedes.
Scilicet hæ Muſę, Ingenium, Fàcundia linguæ,
Penna, ac illorum verba relata fide,
Omnia ſub *Greij* gaudent iacuiſſe ſepulchro,
Atq; vno tecum Marmore cuncta tegi.
Vis ergo faciam meliori carmina venâ?
Sint ſemota parùm marmora; doctus ero:
Sed quia non eſt ſpes flectendi Marmoris vlla,
Elinguis dolor eſt, mutaq; Muſa mihi.

In obitum immaturum Ioh. Goodwin diſcipuli ſui.

Jn lachrymas potui pro te (mihi chare) reſolui;
Poſtulat hoc pietas, at dolor ipſę negat.

Ingens cura ſtupet, levior dum cura loquatur;
Nec mihi materies conſtitit, vnde fluat.
An *mortem* inculem, quę *Sceptra ligonibus aquans*
Non novit *ſegeti* parcere dira *novæ*?
An tuba virtutum fiam, vel buccina laudum?
Hoc viſa eſt pietas, hoc prohibere pudor:
Tu *Roſa* quę fueras viridis, nunc arida facta
(Quod mirum, & miſerum eſt) *vere* ineünte cadis.
Mors matura Senes, Juvenes inopina, ſed omnes
Seriùs aut citiùs ſanguinolenta rapit.
Naſcimur vt moriamur, habentur cuncta caduca;
Et ſolâ ſpes eſt in bonitate Dei.
Tu civis cœli (*Goodwine*) modò incola terræ,
Nunc nôſti qûantum è funere fœnus habes.

JOH. MOSELY *Art. Mag.*

Carmina proveniunt animo deducta ſereno,
Et mœſtus prohibet carmina grata dolor,
Ergo (*Greye*) *pio* parce, *indoctoq;* dolori;
Mæror clara vetat carmina, vellet amor.
Cùm primùm *vidi* rutilantia lumina, Greyi
Spiritus effulſit ilicò: *Greyus eras.*
Cùm primùm *novi* probitatem mentis, honeſtas
Greyorum effulſit ilicò: *Greyus eras.*
Cùm *benè* te *novi*, iunctâ probitate Camœnis,
Pluſquàm Greyus eras, *pluſquàm homo* Greyus eras.
Et quià plus fueras viuens, quàm *homo*, liuida Clotho
Invidit nobis te, tua dona tibi.
Jnvida Parca bonæ *matri*, *domo* & invida *Greyûm*,
Jnvida ſàt *Muſis*, invida Parca *bonis*.
Ergo tibi *invideo* tantas (*Mors* invida) vires,
Sitq; vtinàm liuor, mors tibi, noſter edax.

Quòd

Quòd morbo ardentiori laborans ſuffocatus eſt.

Qui Litterarum *lumen*, & Morum fuit:
Qui Sanctitatis *lumen*, & Pacis fuit:
Qui Charitatis *lumen*, & Vitæ fuit:
Si congregatis *lucibus* tot ſingulis,
Flammâ & oriente, gutture occluſo perit,
Quis mira cenſet? mira credantur magìs,
Tot *luminum* quòd *martyr* illuſtris cadat.

In ſymbolum eius: Laudem præter nullius avarus.

Nil admirari propè res eſt vna, beatum
Quæ facit? Jnfelix igitur num *Greyus* habendus
Laudum admirator? ſed & ergo *beatior* ille,
Quippe fuit, *Laudem præter, nullius avarus.*

In Mortem.

Ergo nec hic ſatis eſt de tot modò millibus vnus
Greyus, vt hic fiat faucibus eſca tuis?
Quin juvat illius charum rapuiſſe Nepotem,
Delicias matris, deliciaſq; patris?
Ergô *Magdalena* magìs mœſta? improba vel mors?
Jlla ſatìs mœſta eſt, improba at ipſa nimìs.

Nec tua (*Mors*) ſpolia hæc, ſed & iſte *triumphus Amoris*,
Vtpote quêis vita eſt, vrnaq; juncta fiet.
Ite igitur ſimùl, ite (*Deo* grata *hoſtia*) veſtro
Vos vos complexi concinitote Patri.

JOH. WARNER *Art. Mag.*

O notiſſime plus mihi trecentis,
O chariſſime plus mihi trecentis,

Terrâ dum modò vixeris ſuperſtes.
Defuncto tibi iam quid ipſe præſtem?
Nil dignum ſatis invenitur, eheu!
Genis flentibus exprimam dolores?
Areſcunt oculi, ſtupentq; ſicci.
Luctus cordifragos premam dolendo?
Abſtruſus nimis hic dolor dolentis.
Spargam nobile floſculis ſepulchrum?
Brumæ tempora floſculos negabunt.
Quid præſtem juveni miſer perempto?
Quæ tentanda via eſt? an invocabo
Numina? iſta parùm, puta, moventur.
Fata? eheu! nimiùm ſiniſtra fata.
Quæ reſtant igitur? dolor, ſtuporq;,
Funerum comites, nimis proterui,
Inviſi nimis, & nimis ſequaces:
Stupeſcens doleo, dolens ſtupeſco;
Hinc ergò ſileo. capeſſe metra,
Vota, hæc vltima vota conquerentis,
Terrâ qui modò vixeris ſuperſtes,
O chariſſime plus mihi trecentis,
O notiſſime plus mihi trecentis.

TOB. GARBRAND *Art. Mag.*

ERgonè lethali potuit Mors improba telo
Tam dirum patrare nefas? ergò ivit in auras
Greyus? & extinctus jacet? ac informe cadaver?
Ah Scelus indignum! ſic ſtirps antiqua peribit?
Sic generoſa Domus? plorabit flebile, Mater,
Jn felix Mater, poſt turbida tempora, funus?
Atq; novos Frater luctus, miſerandus habebit?

Impro-

Improba Mors! ſaltèm potuit divina vetare
Virtus, & potuit Pietas avertere Tela,
Tela pio nimiùm, nimiùm quoq; tincta cruore.
Diâ dedit, virtus, puros, ſua munera, mores;
Et dedit vt pereant? Superi prohibete! futuro
(Vt meruit potiùs) virtus floreſcat in Æuo.
Rara dedit, Pietas, ſacras, ſua munera, Dotes;
Et dedit vt pereant? quin Dij meliora! perenni
(Vt meruit potiùs) Pietas celebretur honore.
Siccinè cum cœlo pugnabunt Tartara? Bellum
Sic Mors cum Virtute geret? cum virgine, virgo?
Arma Faceſq́; quid hoc? totus patefiat Avernus;
Tartareas mittat ſcelerata ad prælia turmas.
Virtus inuito victrix Acheronte triumphat,
Sola vetans alios, & neſcia Sola perire.
Quin tu Morbe furens, triſtis Prænuncie lethi,
Exere tabificas molitor peſſime vires,
In teneros graſſare artus, age, pollue membra,
Inficiant pulchrum fœda Exanthemata corpus.
In mentem nil juris habet tua vaſta Poteſtas.
Quin tu nox, genitrix illunis & algida, Mortis,
Quæ velas Scelera, & plorando Funere gaudes,
Flagitijs nigrata (ſilens, crebroq́;) nefandis;
Conſultò piceâ cœlum caligine obumbra,
Perge fugare Diem, *Greio* ſuadere ſoporem,
Heu! diſrumpendum nullâ pòſt luce ſoporem,
In mentem ni! Juris habet tua vaſta Poteſtas.
Quin tu Mors diræ diriſſima Filia Noctis,
Deteſtata hominum Formido, ſicaria mundi,
Terrificâ aggrediens, proſternens omnia falce,
Ne dubita temerare Caput pietate colendum,
Ne dubita iugulare pium Virtutis Alumnum.

In famam nil iuris habes; tua vasta Potestas.
Iò triumphe, canat Pietas. sunt irrita Morbi,
Irrita sunt noctis conamina, et irrita Mortis.
Virtus invito victrix Acheronte triumphat,
Sola vetans alios, et nescia sola perire.

Sic, vbi Fata vocant, Naturæ debita soluit
Quisq; suæ, Iuvenis iam modò, iamq; senex.
Sed tamen hi Iuvenes (si fas dixisse) perempti,
Tempore non poterant commodiore mori.
Tergora iam terræ tacitarum Vellus aquarum
Liquit, Hyems cano fugit operta gelu;
Almaq; iucundi venerunt tempora Veris,
Et flos purpuream pingere cæpit humum;
Cum liquêre illi brumalia tempora Vitæ,
Perpetuo certi veris honore frui.
Cæperat et Piscem iam sol habitare; supremum
Cæpêrunt illi quando habitare Polum.
Est vita hæc Mortalis hyems: sed Clausula Vitæ
Æterni veris continuanda Dies.

Nox dormienda est vna perpetuò viris
Letho peremptis, luce priuatus canit
Vates Catullus, somnians vates stygæ.
Atqui perennes Veris æterni dies
Non nôrat ille, prorsus ignarus fuit
Beatitatis, quam dat in cœlo Deus.
Errat Poeta, Castalis fallit, *pijs*
Lux perfruenda est alma perpetuò *Viris*

Mors (si poetis vlla diuinis fides.)
Perpetua requies fertur, *æternus sopor*,
Quis ergo *Greijum* deflet humenti genâ?

Alte

Altè quieſcit, dulcis hunc ſomnus tenet.
Sinito quieſcat, nec gravi planctu obſtrepe.

Quiſquis dolenti lumine et corde intimo
Greïum iam humatum, luget in terrę ſinu.
Luctu Occidentem defleat ſolem pari,
Qui rutilum opacâ condit in terrâ iubar.
Sol oritur iterùm, purus in cœlo nitet:
Sic et reſurgit *Greius*, et Cœlo nitet.

NATH. TOMKINS *Art. Mag.*

PErdulce patris pignus, et matris decus,
Et ipſa fratris anima: ſpes magnæ domus,
Et nobilis proſapiæ, natu vltimus;
Virtute dicam primus? hoc dicam, bonis
Animi ſecundus nemini, *Greius* iacet.
Quem non parentum gloria ornavit magis,
Hic quàm parentum gloriam ornauit ſuâ.
Hęc ſpes, ſalus, natuſq;, natuſq; inclytus,
Decus parentum, nomen et tanti patris
Geſtare dignus: moritur, indignus mori.
Huic effundunt lachrymas muſæ;
Vlulatibus aures implent viri;
Cœlum, tellus, ſidera, pelagus
Edunt gemitus; mœrore carent
Nulla: et morem ſolitum flendi
Vincunt, ſolito grauiora vident:
Columen *Greiorum*, ſpes matris,
Mora fatorum, pietas, literæ
Periere ſimùl. ſummuſq; dies

Graÿ

Greij iuvenis, nobis miseris
Summus fuerit finis gaudij.

T. Stoit *Art. Bac.*

FAtorum invidiam culpem? meritò: tamen illis
Hoc præter solitum non est: illa *optima quæq;*
Primis arripiunt manibus, quibus optimus, eheu!
Arreptus *Greius*: miseri sed iure queremur
Cultorum immemores Diuos nunc esse suorum:
Mercurium querimur, morbi hinc nascentis origo,
Ad lectum ægrotum lux hæc detrudit Alumnum.
Mars magis infestus. Quippe hic de stirpe creatum
Greyûm belligerâ letho dedit, enecat iste.
Sic iacet extinctus *Greius*, sed numine vtroq;
Aut iacet extinctus, vel sydera summa petiuit.

Vincen. Goddard *Art. Bac.*

CVm Mors de proprio sua quæq; exhausserat antè
Tela sinu, cùm non quod iaculetur erat,
Ad Phœbum celeri volitat pede, Phœbus vt illam
Conspicit, hem! quid tu iam feriaris? ait:
Quid facerem? dixit, vacua est mea nempè pharetra,
Exprompsi vires quas scio cunq; meas,
Phœbus ad hæc respondet, habe tibi spicula nostra,
Atq; arcum hâc habeas conditione meum,
Vt nullum si non *Greyum* (mihi Græcia namq;
Exosa est) feriant hæc mea tela virum.
Iurat in hæc verba, et stygium Phlegetonta vocabat
Testem Mors, (aliud sit meditata licet)
Gavisa est, quia tum Phœbum deceperat, ipsum

Ag:

Aggreditur telis qui dedit arma ſuis.
Ex templò Aönias petit inſidioſa platæas,
Muſarum fontes, & loca ſacra petit.
Audierat multos vario ſermone loquentes,
Et Graius Graiâ voce loquutus erat.
Et Graium dici notat hunc, (tum namq; Thalia
Graie veni dixit, Graie cupite veni.)
Hoccine Muſarum decus eſt? flos hic tuus? inquit,
Hiccine deliciæ diva Thalia tuæ?
Jam perit ergo (nocens neq; ſum tamē) hic quia Graius,
Atq; omnis, dixit, Graius, Apollo, cadat.
Dixit, & è Pharetrâ telum deprompſit, in illum
Direxit, mortem ſic tulit ille ſuam.

Amb. Powel *Art. Bac.*

Τὸν ϐίον εἶν' ἀϐίωτον, κ' ἄνδρων ἔλπιδ' ἄελπη,
Ῥηϊδίως βλέψας νεκρικὰ ταῦτα μάθοις.
Γραῖος ὁ μ' ϐιόων ποτ' ἔην τοῦ στέμματος ὄλπις ὁ
Σήμερον εἰς γαῖαν Γραῖος ἔπιπτε κόνις.
Συγγένεαι μοῦσαι χάριται τ' ἔχεν, ὅττι γε Γραῖας:
Νῦν χάρις ἀλλ' ἄχαρις, μοῦσα μὴ οὖσα θάνεν.
Χρήσιμα ἐκ παντὸς βλαστήματος ὡς γὲ μελίσσα
Σύλλεγε: πάνθ' αἱρῶν οὐδενόωσε μόρος.
Ταῦτα σκοπεῖ, μετέπειτα λυπεῖ, κ' εἰς ὕστερον εἰπὲ,
Εἷλεν ὅταν θάνατος Γραῖον, ἀγρεῖος ἔην.

Gual. Charde *Art. Bac.*

INvida nùm dicam? dicam an crudelia fata?
Jnvida proh nimiùm! nimiùm & crudelia! vtrumq;
Dum iuvenem rapiunt primævo flore virentem.
Proh iuvenem, iuvenē, tam omni ſine compare agentē.

Tamq; spei indubiæ; quòd si illi longius ævum
Donâssent; norânt moriturum tempore nullo.
Verùm, fata scio malè quis deduxerat error.
Crediderant hunc esse senem, tot dotibus auctum.

Gualt. Rauleigh. *Art. Bac.*

Quòd Greyus eiusq; Nepos Die Mercurij obierunt.

NIgra diès, infeste Deus, quid perditis vnà
Greium, & Goodwinum nobile par juvenum?
Ergò tui quis erit tandem studiosus? & aras
Nobilis ante tuas quis tua sacra colet?
Nemo; nec, Astronomis si nos credamus, in anno hoc
Vlla tuo feria est concelebranda die.
Nec posthàc quisquam credet te cœlitùs ortum,
Nec, nisi fur, quisquam numina vestra colet.

Norricius Doily *Art. Bac. Gener.*

QVi juvenis doctus fuit, & prænobilis idem
Greyus *Homo* (humanũ est morte perire) perit.
Sed qui Greyus homo, *pius* est ac inclytus idem:
Perpetua est pietas; non periturus, ovat.
Mortuus est; lachrymas *Affinis Greyus* habebit:
Mistaq; sint lachrymis gaudia: *Greyus* ovat.

Epitáfio.

E'ra tu vída córte,
Aun siempre biuirás:
Tengà su pága muérte,
Aun tu jamás moriras.

Ant. Tyringham *Art. Bac. Gener.*

ST-

SYRINX.

FLebile lugubris producas carmen ARVNDO;
Amissâ quali mulceba Pana Syringe.
Est etenim amissus charus nobis juvenis;
Charior(heu)multò quàm Pani chara Syrinx,
Intempestiuæ perculsus vulnere
Funesto mortis.(fata ô crudelia)
Nil vos commovit vitæ pietas?
Nil vos purorũ morũ probitas?
Nil vos nobilitas clarissima?
Nil vos tẽpora tàm iuvenilia?
Nil vos Musarum lachrymæ?
Nil vos tristitiæ Charitum?
O Parcæ duræ nimis!
Ergò Graie jaces,
Eximius juvenis,
maxima spesq; tuis
Mortuus orbi es;
Viuus at inter
Astra viges
Cum Christo.

Rob. Browne *Art. Bac. Gener.*

SI notum magis, extinctum magis vsq; dolemus,
Mẽ, tua, nemo magis, funera(*Greye*) fleat.
Nempè ego te novi cùm primò, Etonia novit;
Ingenij est acies tum quoq; nota mihi.
Pòst ego te novi, cùm primò Academia nouit;
Est tua Sedulitas tum quoq; nota mihi.
Novi, cùm primò novit Libitina, supremò;
Et dolor, & luctus, tum quoq; nota mihi.

Fabula non vana eſt, nupèr mutaverat arma
Cæcus, cum cæcâ tum quoq; Morte, Deus.
Inde videns, *Greyum* florenti ætate, Cupido
Dignum et amari (inquit) dignũ et amare reor
Quâ licet et fas eſt, ſed non tamen igne pudendo;
Miſſa pios ignes noſtra ſagitta dabit.
Protinùs e pharetrâ iaculum lethale vibravit,
Infecit corpus tabe, deditq; neci.
Quod ſimul ac ſenſit, pharetras abiecit et arcus,
Sed facto indoluit ſerò ſceleſtus Amor.

Cæce ô ſæve Puer, ſed et ſceleſte
Erroris Pater, improbe et vage Erro,
O peroſe Amor! haud tamen necâſti
Iam totum Iuvenis, Grëiq; totum:
Quin ille olim vt amans, amatus ille;
Muſarum ille vt amans, amatus ille;
Æquè amans Charitum, ac amatus æquè;
Æquè amans ſuperûm, ac amatus æquè;
Amans omnium is, omnibusq; amatus,
Vivit cum ſuperis perennè *Amandus*.

Brian. Jänſon *Generoſ.*

Opprimitur *Greius* tumulo, quò viuere poſſit
In cælis, virtus huc ſua tendit iter.
Opprimitur *Greius* prelo, quò viuere poſſit
In terris, *Greii* hìc fama ſuperſtes erit.
Nec primò moreris, nec tu moriere ſecundò,
Et terrâ es dignus, dignior atq; polo.

Alex. Tutt. *Generoſ.*

Vna

VNa fuit quondam ſedes tibi (*Greye* mihiq́;
Etoniæ ambo quũ dedimus operã libris.
Vna et abinde fuit ſedes tibi (*Greye*) mihiq́;
Quùm *Magdalenæ* vtriq; ſuximus vbera.
Cedentes vno antè loco, pervenimus vnum;
Spes eſt quòd & vnus dabitur in Cœlo locus.

Rich. Breame. *Generoſ.*

NEſcio (*Greie*) tuos num flebo in funere *Caſus*,
Anne tuo, *Caſus*, funere flebo meos?
Nimirùm ſic nos *Concordia* iunxit, vt vna
Sæpè & *Muſa*, vt *Mens* ſemper et vna fuit.
Vnà olim vna duos *Etonia* cepit Alumnos,
Inſtructor q́; illîc vnus vtroſq; regens.
Vnà indè vna duos *Oxonia* cepit Alumnos,
Inſtructor q́; iſtîc vnus vtroſq; regens.
Hinc tam chara Animis exorta eſt VNIO noſtris,
Vt mihi vel mærens vna ſepulchra velim.
Hei mihi! iam doceor me *Cras* quoq́; poſſe perire,
Atq; tuo letho (*Greye*) timere meum.

Quòd mortuus eſt libros Ariſt. de Cœlo percurrens.
Nobilis aſtriferi ſcrutans myſteria Cœli
Grèius, illius mira videre cupit.
Annuit Omnipotens precibus, lethoq́; peremptum
Eleuat hunc ſubitâ ad Cœlica regna, manu.

Guli. Borlas. *Generoſ.*

HEi miſero paritér mihi! cur ſic fletis Ocelli?
Lachryma cur madidis rorat oborta genis?

Cogor ego et lugere ſimùl, dum pectus amicum
Cogito, et ora ſimùl candidiora mihi.
Dum modò cum luſu ſimùl et grauiora recordor,
Lætitias noſtras, triſtitiaſue ſimùl,
Tempora dum reputo *Laribus* conſumpta paternis,
Et ſimul aſſumptos ſæpè diuq; cibos,
Hei! nequeo non flere ſimùl cum *Fratre*, perindè ac
Si *Frater* nobis tertius ille fuit.

Hen. Borlas *Generoſ.*

IN ſe quemq; ſuos tranſferre coegit amores
Greius, et in cunctos tranſtulit ipſe ſuum.
Aſt vnum hunc cunctis charum, fatum abſtulit, eſſe
Solaq; quę potuit, Mors inimica, fuit.
Siccine? Mors *Greio* invidit ſubitâq; ruinâ
Suſtulit, in cineres iuſſit et ire leues?
Sed nec it in cineres, nam quem vita optima fecit
Inſignem, et cui mors vita futura ſua eſt,
Nunc viget in cœlis, Diuis decus additus ingens,
Ter felix inter ſydera, ſydus habens.

Rob. Gorges. *Generoſ.*

SIccine perpetuum *Greyi* claudetur in ævum
Virtus, perpetuos digna videre dies?
Clara nihil virtus temet remoratur euntem?
Nil tua te pietas? nil tua ſacra fides?
Diſcite vos Magni, *Greyium* hunc, exemplar, habete,
Semper erunt claris invida fata viris.

Ed. Rodney. *Generoſ.*

Pet.

Pectus mæstissimum pectine se pulsat Horatiano.

O sæpè mecum tempus in vltimum
Deducte, Christo militiæ duce,
Qui te redonavit beatum
Greye suo, superoq; cœlo.
Nam te per hostes Mercurius celer,
Crasso id precantem sustulit aere,
Me rursùs in bellum resorbens,
Vnda fretis feret æstuosis.
Ergò obligatam redde Iovi dapem,
Mentemq; fessam militiâ tuam
Depone sub lauro Iovis, nec
Parce bonis tibi destinatis.
Greye ò meorum prime sodalium,
Cum quo morantem sæpè diem iocis
Fregi, coronatus cupresso
Te doleo mihi (chare) ademptũ.
Obliuioso levia Massico
Ciboria exple: Nec tamen hunc volo
Finem doloris: morte adempto
Dulce mihi *fuisse est amico.*

Hor. Od. 9. Lib. 2.

Guli. Sparke.

QVod semèl fatis morior malignis,
Terra me mater fragilem poposcit;
Quòd tamen pulchrâ morior iuventâ,
Me Deus ornat:
Quòd semèl labar, proprium sit omni
Filio terræ: tener in iuventâ
Quòd cadam, mundo morior, potenti
Vivo Iehouæ:

Sap. 4. 16.

Viuo,

Viuo, sic iterum resonabit Eccho,
Fama cum terras colat, astra scandat
Spiritus, cum vnâ geminam resumam
pro nece vitam:

Joh. Dropus.

L'ombra di G. G. la madre Maddalena consolá.

ONde le lagrime? onde tanto ohime lasso
Mia madre? mentre io son riposto in sasso?
Temi, che estinto é nobil nome de Grai?
Ha! i colori l'anima non cura mai.
E che se a mortal occhi non si stende?
Tanto sol vedi men, quanto pui splende
Ma se de tuo si viue inchiostro,
Quello mio e? o no; e dono vostro.

Gul. Wolfe.

Ad Hypercriticum.

QVi carpis nostri mœstissima pignora luctus,
Et lachrymas rides, jmprobe Sanna, pias,
Audi. *Non tantus dolor est facundus.* habebis
Optima si in funus carmina, Tu morere.

Ad Lectorem benevolum.

LEctor candide, quem moramur vnum,
Hic si contigerit tibi placere,
Rara pagina quem facit, libellus;
Tu Gades *Lachrymis* dabis dolentûm:
Sin minùs: miserum! libelle creſces;
Plus vltrâ, vlteriùs, quòd vſq; , & vſq;
Roſo viſcere condolemus omnes.

FINIS.

XUM

XUM

XUM